



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 49. De Siti & Quinto Verbo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XLIX.
DE SITI CHRISTI IN
Cruce, & quinto eiusdem
verbo.

PUNCTVM. I.

a Ioan. 19.
28.



CIENS IESVS, quia omnia consummata sunt, vt confirmaretur scriptura, dixit: sitio.

b Psa. 116.

CIRCA hoc mysterium, considerandum primò est, quàm grauem sitim Christus Dominus tunc sustineret; vt qui à nocte præcedente, nihil profos bibisset; cum tamen graues labores pertulisset; in multis itineribus festinanter peractis; & plurimùm sanguinis effudisset, tum verberibus & spinis expressum, tum elauis in ipsa cruce, in qua tres iam horas pependerit; ideoque ipse dixit in Psa. b *Aruit tanquam terra virtus mea, & lingua mea adhasit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me,* quam tamen sitim, etsi grauissimam sustinuit ac dissimulauit, donec iam iam esset expiraturus; sed tunc manifestauit, vt nos intelligeremus quantam ipse pœnam sustineret, pro nostra voracitate & ebrietate, & grati illi propterea essemus; excitando nos ipsos ad similem sitim eius amore æquanimiter tolerandam, si quando contingeret nos ea vexari. O Sam-

son

non fortissime, qui postquam c. *mandibula a-* c. *Iudis. 15.*
sini interfecisti mille Philistæos, siti moreris, ora 15 19.
 Patrem tuum, ut ex ista cruce, qua vincis tu-
 os inimicos, fons egrediatur aquæ, ad sitim
 tuam extinguendam. O petra viua, flixque
 beneuoli amoris, quandoquidē percussus es
 virga crucis, produc, sicut d. *petra* illa, quam
percussit Moyses fontē aliquem aquæ, qua re- d. *Exo. 17. 6.*
 frigeres afflictissimam tuā linguam. Sed vi-
 deo, Dñe charitatem tuam non aquæ fontem
 ad te refrigerandum, sed riuulos sanguinis
 producere velle, ad culpas nostras lauandas:
 eius enim refrigerium est, plurima pati; quo
 nos ab eis liberemur. Propter hanc tuā sitim
 supplico, Domine, ut patientiam mihi ac
 tēperantiam concedas, ut nec potu deficien-
 te, perturber; nec eius copia inordinatē vtar.

PUNCTVM II.

PRÆTER hanc sitim corporis grauissi-
 mam aliam habuit, & insatiabilem triū
 rerum: quas possumus colligere ex causa, ab
 Euangelii ista adducta; ob quā hoc verbum *sitio*
 dixerit, quod videlicet oēs eius labores, quos
 ipsum passurum, Prophetæ prædixerant, iam
 essent cōsummati; hoc excepto, quod in eius
 a *siti*, adhuc *aceto* eum non potauissent, quod
 tamen in Psalmo prædictum fuerat, ut igitur a *Psal. 68. 21.*
 hæc scriptura impleretur, dixit *sitio*; hoc ver-
 bo hostes suos monens, ut acetum quod præ-
 manibus habebant, illi offerrent.

Qvo facto tres insignes virtutes excellētis

simi huius Domini manifestantur, fundatur in triplici genere sitis, qua ipse affligebatur.

I. PRIMA fuit sitis insatiabilis obediendi aeterno suo Patri, qua vehementer desiderabat, eius voluntatem, in rebus omnibus exsequi, nec iota, nec apice, aut re aliqua, quantumuis poenalis esset praetermissa. Sciens itaque Patris aeterni eam esse voluntatem, ut acetum ipsi propinaretur, nec hoc voluit praetermittere, ac propterea dicit, SITIO, non tam aquam, quam illud acetum; obediendi desiderio O Iesu amantissime, *b. cuius cibum, & potus est, facere voluit aeterni eius, qui tenuisti mihi etiam hanc feruentis obedientiae, sitim concede, ut in nulla alia re, nisi in ea exsequenda requiem inueniam.*

b. Ioh. 4. 34

II. SECUNDA eius fuit sitis, intimum desiderium, plurima amoris nostri intuitu patiendi: etsi enim plurima fuisset perpeffus; plura tamen adhuc pati desiderabat, & re ipsa proculdubio fuisset passus; si ea aeterni Patris voluntas fuisset. Ex quo desiderio processit; ut quod illi de aceto bibendo deerat, cupiens explere, dixerit: SITIO; quod non dixit, ut refrigerium aliquod quaereret, sed ut cruciatum illum nouum toleraret. O Redemptor benignissime pudet me, quod experiar, sitim meam non esse, dolores tolerandi, sed deliciis affluendi: hanc queso perniciosam sitim à me remoue, & in aliam tuam similem commuta, ut semper sitiam pluraque pati amore tui.

EX

Ex duabus his virtutibus illud ortum est, ut Christus suam necessitatem, stupenda quadam sanctitate aperuerit, simplicissimè videlicet illam manifestando; nulla ratione aut causa allata, qua persuaderet astantibus, potum sibi dari; nec, ut daretur, petiit expressè, sed dixit simpliciter: SITI O; quasi diceret: ego quidem hac necessitate premor, vos videte num, & quo modo, & qua ratione velitis subuenire. Quo docuit nos, religiosos præcipuè, modum, quo necessitates nostras temporales, Deo Domino nostro in oratione, nostrisq; Prælati proponere oporteat; magna videlicet voluntatis nostræ resignatione ut contenti omninò simus, necessitatè ipsam exponere, remedium eius quoad tempus & modum, & reliquas circumstantias; ipsorum providentiæ relinquentes; parati etiam usq; ad mortem in ea necessitate permanere, si ita Deus disponere voluerit. Et quid magnum est, si id ego cum Deo agam, qui est Pater meus, & cum Prælati, qui eius sunt ministri; cum videam Christum Dominum nostrum, eam rationem proponendi suam necessitatem, etiam cum satellitibus & carnificibus observasse, à quibus non expectabat remediū suæ necessitatis? c Num, si petiuero à Deo panem, lapidem mihi porriget? & si piscem, nunquid dabit serpentem? aut si ouum, nunquid porriget scorpionem? aut si dixerò illi sitio, nū offeret aut acētum? non est Deus tā crudelis erga me Pater, qui deneget, quod mihi ex-

c Luc. II. II.
c Mat. 7.9.

pedit; aut cōcedat: quod nocere potest, quod cum reuera ita sit, satis est, simpliciter illi meam necessitatem proponere, & curam totam eius remedij, perfecta resignatione illi committere.

III.

d Ps. 68.10.

TERTIA sitis fuit salutis animarum, quas passione sua redimebat; sitiebat inquam, sanguinem suum omnibus prodesse, & omnes Patri æterno seruire, gloriamque & cultum debitum ei, tanquam vero Deo exhibere; quia semper ardens *zelus domus Dei comedit* eius viscera; ex quo zelo tanta hæc sitis procedebat, quam tanta animi anxietate, in cruce sustinuit. Nominatim verò sitim illam expendam, quam habuit mea salutis, & vt perfectè illi seruirem, & gratias pro illa agam, me ipsum excitans, ad potum ei offerendum, quo sitis illa refrigeretur. Aspice anima mea, Dominum tuum dicentem *sit*, vt sis obediens, patiens, humilis, & charitatem exerceas; da ei potum, vt eius subleues laborem. Accipe, Saluator mi cordis mei poculum, in quo tibi offero, quod tu sitis, frequentia scilicet tibi seruiendi desideria: bibe quantum desideras; me totum in viscera tua intima intromitte, ne vnquam inde exeam. Amen.

HINC deducam, si cupio Christum Dominum nostrum perfectè imitari, procurandam mihi esse sitim trium rerum prædictarum, obediendi scilicet Deo, patiendo pro Deo, & vt plurimi ei seruiant. Nam post hæc sequetur

tur

tur altera sitis, de qua David *esuriuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei* Et ita mihi competet quod ipse Christus Dominus dixit, *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

e Psal. 41. 3.

f Maet. 56.

PUNCTVM III.

VAS ergo a erat positum acetum plenum; illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

a Ioa. 19. 29

Mat. 27. 48

Mat. 15. 36

CONSIDERANDA hic est primùm, execranda hominis aduersus Deum parcitas & crudelitas; & immensa Dei aduersus hominẽ liberalitas & bonitas. Neq; enim maior esse potuit liberalitas, quàm profundere Deũ totum sanguinem ex suis venis, in gratiã hominis; nec contrã maior parcitas & rusticitas, quã quod eodẽ ipso tẽpore, non offerat homo aliquod leuamen siti, qua Deus ipse premitur. Sed magis ad particularia in hoc descendendo, perpendã PRIMVM hanc Christi desertionẽ, in tanta sua siti; vt nullus inuentus fuerit, qui vicẽ eius dolens, aquã haustũ, qua refrigeraretur, offerret: sed quod non defuerit tamen, qui acetum, & quidem cum hyssopo herba insipida & mortali propinaret: quam afflictionem tolerabat ipsa stupenda patientia & silentio, non conquestus, nec verbo, aut indicio vllò indignationem ostendens in eum, qui offerebat; vt nobis hoc

I.

etiam tolerantia daret exemplum, & ab æterna siti liberaret, quam peccatis nostris, æternam in inferno promeriti eramus; ubi damnati petunt cum Anaro illo diuite vel aquæ guttam, nec obtinent. O dulcis IESU, gratias tibi, quod hanc desertionem, illi ferè similem, quam experiuntur damnati, & tu expertus fueris; nullum inueniens, qui aquæ guttam daret ad sitim mitigandam. Propter eam te supplex oro, vt ab æterna miserues, & patientiam concedas, quando subsidium defuerit, ad mitigandam temporalem.

II:

DEINDE perpendam eiusdem Christi Domini nostri afflictionem, in spiritali siti, qua maximè premebatur, dum in sponsia illa aceto plena, calamoq; imposita, presentem habuit potum, quem à multis peccatoribus erat accepturus, offerentibus sibi corda omni bono vacua, aceto autem peccati plena; calamoque mutabili vanitatis & inconstantie siue carnis imposita. Aspice anima mea, quem haurtum Domino tuo propines, tanta peccatorum multitudine mixtū: accede quale illi acetum offeras, cū proximos tuos verbis asperis, & amaris operibus affligis: in quibus ipse existēs, vt propria accipit iniuriam, qua illos afficis. O Saluator meus, quantum interest inter potum, quem tu mihi das ad extinguendam sitim meam, & quem ego tibi ad tuam extinguendam, offero. Nam pro sponsia aceto plena, calamoque hy-

Ipsi

topi impona, quam ego tibi offero; tu nudi-
 das sanctissimam tuam carnem, admixto vi-
 no pretiosissimi tui sanguinis, in istius crucis
 calamo expressi: eodemq; tanquam in *byssopo*
me aspergi, ut munder; & quasi vino inebrias,
 ut tuo replear amore. Gratias tibi pro hoc
 tam pretioso potu, propter quem supplico,
 ut iniurias à me admissas, in acerbo potu,
 queni tibi obtuli, remittas.

b Psal. 50. 9.

III.

DENIQUE sacratissimæ Virginis dolo-
 rem perpendam, cum audiens filium dicen-
 tem, *sitio*, vidit ei offerri acetum: agnoscens
 etiam spiritualem filij sitim; ipsius quoque
 sitis vehementer crescebat, qua cupiebat,
 plurimas esse animas, quæ Deo seruirent. O
 virgo suprema, quam libenter accessisses ad
 dilectissimum filium tuum, ut corporali eius
 siti, aliquod leuamen adferres, si tibi ad id
 potestas data fuisset! multo que lubentiùs
 nunc accurris, ad eius spiritualetm sitim sa-
 tiandam; quò sint multi, qui illum amantes,
 fructu eius passionis fruuntur. Age ergo Ma-
 ter pijsissima, ut vitam meam ita ego iustu-
 am, ut sitienti filio tuo, leuamini esse possim;
 ita serui illi seruiens, sicut ipse sibi ser-
 uiri cupit, ad maiorem eiusdem
 sanctissimi nominis glo-
 riam. Amen.

(::)